

J. N. J.
PRÆFAMEN.



Majestate quadam & emphasi exquisitissima DEUS noster Omnipotens in Creationis opere Gen. I. 31. hanc fecit clausulam: **וַהֲנִיחַ טוֹב מְאֹד**
Et ecce (totum mundi opificium complexivè cum omnibus animantibus, homine item singularissimè perfecto) bonum erat valde s. excellentissimè bo-

num. Vid. B. Varenius *Decad. Mosaic.* p. 135. Monstrabant etenim creata inexhaustam Summi Numinis sapientiam & ineffabilem operandi modum, unde non nisi perfectissima & in universum grata atque exoptatissima provenire & exoriri potuerunt Conf. Clericus *ad Gen. I. 4.*

Eâdem & si verbis exprimi posset, longe majori facundia de operibus restitutionis & salutis nostræ mediisque in hunc finem ordinatis & ultra modum ac debitum sufficientissimis diceretur: **וַהֲנִיחַ טוֹב מְאֹד**. **πολύσπλαγχι** & siquidem miserator **πλάσιος ὢν ἐν ἐλέει διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην** nos cum mortui essemus peccatis, vivificavit cum Christo & suscitavit nos, sedereque fecit cum eo in supracelestibus in Christo Jesu ut demonstraret in seculis supervenientibus superabundantes divitias gratiæ suæ per benignitatem super nos in Christo Jesu Eph. II. 4. s. Cum etenim in salutis Oeconomia benedictus Deus & Pater Domini Nostræ Jesu Christi benedixerit nobis omni benedictione spiritali in supracelestibus in Christo Eph. I. 3. s. ut ditati simus in omnibus per ipsum, nec deficiamus in ullo dono Rom. I. 5. s. quare non quivis, rem hanc admirabilem, indebitam meritoque nostra infinitis transcendentem passibus devotè pensitans, cum Psalte exclamaret: *Hallelu-Jah confitebor Jehovam in toto corde, in consilio rectorum & cætu. Magna sunt opera Jehova, & perquisita quoad omnia beneplacita eorum. Deus & honor est, opus ejus, & justitia ejus*

A

ejus